

privitatem ante postremam Urbis Jerosoly-
mæ everfionem populique captivitatem.
Operæ tamen pretium est animadvertere,
hunc titulum legi quidem apud Septuagin-
ta ceterasque ad illos expressas Versiones;
desiderari verò in Hebræo, Chaldaeo, &
Syriaco. Aliter tamen primam hanc Re-
chabitarum captivitatem exponit S. Hiero-
nymus ad Paulinum: *Hanc primam captivi-
tatem, ait, sustinuisse dicuntur, quòd post
solitudinis libertatem, Urbe quasi carcere
sint reclusi; nempe cum regio hostilibus
Assyriorum armis infestaretur.*

Sive tandem in prima sive in extrema
captivitate, id tamen extra controversiam
positum est, Rechabitas eisdem cum filiis
Juda vicissitudines expertos, tum in-
amissa tum in recepta cum illis libertate,
quemadmodum ex fide 1. Par. 2. 55. constat:
*Cognationes quoque Scribarum habitantium
in Jabes, canentes atque resonantes, & in
tabernaculis commorantes. Hi sunt Cini,
qui venerunt de caloro, (Hebr. Chamath)
patris domus Rechab. Restituti igitur ad pro-
pria, pristinum etiam jure postliminii ob-
tinuisse munus videntur. Quid autem fue-
rit in causa, cur sedes constituerent in Jabes
Urbe Galaaditidis Transjordanâ, incertum.*

Jure etiam meritoque in dubium revoca-
tur, an in textu Paralipomenon nomen
Jabes Urbem designet, an aliud quodcum-
que. Author traditionum Hebraicarum in
Paralipp. autumat, nomen esse viri cla-
ri inter Cinaeos, & Legis consultissi-
mi; sicut re ipsâ vir quidam illustris ejus-
dem nominis occurrit ibid. cap. 4. 9. 10. Ma-
luerunt alii Jabes cum Othoniele præcep-
tore & magistro Cinaeorum sive Recha-
bitarum confundere (b).

Quæcumque demum ea res fuerit, post
reditum à captivitate Babylonica nihil ul-
tra memorie proditum est de Rechabitis in
Sacra Scriptura; sicut & in aliis Libris
rara admodum de illis. Ne verbum qui-
dem est apud Josephum, quamquam non
silet, quæ supra retulimus, de Jchu in suum
curram assumentem Jonadab, secumque Sa-
mariam adducente. Hegeffippus apud Euse-
bium (i) narrat, cum S. Jacobus ad sup-
plicium raperetur, armatis in ejus necem
Judæis, Sacerdotem è genere Rechabita-
rum clamasse; *Quid facitis? Justus Deum
rogat pro vobis.* Porro hunc Sacerdotem è
filiis sive posteris Rechab fuisse legitur in
Rufino æquè & in omnibus Exemplaribus
Græcis; sed in suspicionem id revocat Scali-
ger (k) aliique nonnulli; nec planè satis
exactum esse fateamur oportet, cum nec
Leviticum nec Sacerdotale munus Recha-
bitis permitteretur. Facile tamen designa-
se potuit Hegeffippus sacrum aliquod mu-
nus inferius, ut ministri sive ostiarii Tem-
pli, quod ipse abusione quadam Sacerdotis
nomine expressit, quasi illud generatim de
omnibus sacris muneribus usurparetur. Po-
tuit etiam Sacerdos, quamvis genere à Re-
chabitis alienus, eorum tamen vitæ genus
sectari; quemadmodum enim in nova Lege
plures religiose vitæ professionem sequan-
tur; ita plures Rechabiticam profiteban-
tur in Veteri Testamento (l).

Autumat nonnulli, *Assidaos*, de quibus
1. Macchabæorum 2. 42. & 7. 17. & 2. Mac-
chabæorum 14. 6. patres habuisse professio-
nis suæ Rechabitas. Habemus tamen per-
suasum, *Assidaos* multò frequentiores fuis-
se, quàm Rechabitas, cum æquè omnes
religioni, & pietati addicti eodem illo no-
mine designarentur. In eum sensum sæpè
vox recurrit in Psalmis, & Paralipome-
nis. Quis autem dixerit, omnes religio-
sam piamque vitam exercentes Rechabiti-
cum vitæ genus elegisse? Alii confunden-
dos censent cum *Esseniis* [m]. Sed vitæ
genere & professione satis inter se utrique
abludebant. *Esseni* etenim agreste vitæ
genus secuti, serendis agris exercebantur
(n); nihil possidentes proprium, omnia
in commune conferebant; carebant insu-
per uxoribus & mancipiis; oblationes qui-
dem, sed non sacrificia, offerebant in Tem-
plo, purioribus enim & sanctioribus cæ-
remoniis delectabantur, quàm Hebræorum
reliqui. Sacrificia illi sua seorsum opera-
bantur; curandisque rebus, atque neces-
sariis in singulos distribuendis certos ha-
bebant ministros destinatos. Non simul om-
nes in eodem loco, sed variè per plura dis-
persi habitabant, atque aliunde venien-
tes fratres providâ charitate hospitio ex-
cipiebant. Hæc planè omnia à Rechabi-
tarum moribus abhorrent; quæ enim
uxoribus & filiis carebant, sicuti vicissim
omnibus destituebantur latifundiis; à cul-
tu agrorum vocabant, Urbes refugiabant
ædesque, nec seorsum illi & extra Tem-
plum sacris operabantur, cum potius servi-
tiis Templi destinatos fuisse supra animad-
vertimus. A vino abstinebant quidem Re-
chabita; nihil autem tale de *Esseniis* apud
Josephum legimus.

Quid Rechabitis acciderit post excisas
res Judaicas, eversâque à Romanis Urbe,
in historia quidem non legimus; sed Ben-
jamin in suo Itinerario testatur, vidisse se
in Thema florentissimam Rechabitarum po-
sueritatem vastissimæ Regionis dominam.
Sed huic Authori nihil magis quàm fides
deest; quare potuit facile plura nobis im-
ponere in sua de Rechabitis historia. Ita
fermè rem describit Itiner. pag. 75. 76.

Ex Pundebithâ ad Euphratem, in re-
gionem *Saba*, hodie *Aliman* regionis
Sennaar finitimam veni. Inde unius diei
supra viginti per desertum itinere, re-
gionem Judæorum Rechabitarum tenui.
Huic genti, cui alia appellatio *populi Thei-
ma*, quòd eorum regionis caput *Theima*
sit; Princeps nomine *Hanan* hac ætate
præest. Urbs *Theima* amplitudine, &
incolarum numero floret. Regio 20. die-
rum itinere intra montes Septemtriona-
les longitudine excurrens, munitissimis
atque instructis Urbibus, nulli externo
Principi parentibus, frequens est. Inco-
las crebra excursions quâ in regiones
finitimas, quâ etiam in distitas, adus-
que fœderatos sibi Arabes exercent;
sunt enim Arabum quoddam genus, er-
raticam agentes sub papilionibus vi-
tam, finitimas regiones direptionibus
infestantes. Porro Judæi, de quibus mo-
dò

m Ita ex Nilo
& Suda Se-
rarius l. 3. tri-
bar. c. 9.
n Joseph. An-
tiquit. l. 18.
c. 2. & de Bello
l. c. 11. & Phi-
lo lib. quod
omnis probus
liber.

h Petrus Mar-
tyr in Judic. 1.
Rodolphus Ho-
spinian. de
orig. Mona-
chatus c. 7. Vi-
de Serrarii
Minerval.
cap. 21.

i Hist. Eccle. l.
2. c. 23. Vide
notas Valesii
in hunc locum.

k Animad. &
Euseb. in Elen-
cho tribares.
c. 25. Corne-
lius à Lapide
in Jerem. 35.

l Theodoret. in
Jerem. 35. ult.
Hugo in eund.
loc.

dd, agros colunt, greges alunt; regio
enim optimis pascuis abundat. Decimæ
proventuum omnium in usus cedunt cum
Discipulorum Sapientum, qui perpetuò
prædicationi incumbunt, tum Pharisa-
orum, qui Sionis & Jerosolymæ casum
deplorant. Nullus hisce viris, Phari-
sæis scilicet, vini carnisque usus, atra-
tæ vestes, sedes nullæ nisi in cavernis,
jejunia nonnisi Sabbato intermissa, præ-
ces pro obtinenda libertate, & regressu
Israëlis è captivitate assiduæ.
Judæi omnes *Theima* & *Thelima*
200000. hominum numero florentes,
eadem precantur. Illis Salomon frater
Hanan, de quo supra, præest; ambo au-
tem illi Principes expansis tabulis genus
suum à Davide referunt. Eorum vestes
atratæ ut plurimum & attrite; jejunia
40. dierum pro Judæis omnibus, qui in
captivitate detinentur, apud illos insti-
tuta. Tota Regio 40. Urbibus, 200. vi-
cis, 100. arcibus frequens est; Metro-
polim habet *Thenai*; incolas verò Ju-
dæos 300000. circiter. Urbem *Thenai*
ambiant instructissima mœnia, comple-
xu suo agrum cultus patientem, atque
frumento uberem, longitudinis nempe
ut & latitudinis 15. m. passum conti-
nentia (i. e. 5. leucarum diametrum, & 15.
ambitum dimetentia). Spectaculum sui
præbent *Ædes Principis Salomonis*,
amoenissimis viretis jucundæ. Hæc Re-

chabitarum, si fides Itineranti Judæo ha-
beatur, Regio.

Nota est in Arabia urbs *Thema*, facile
à Thema filio *Imaëlis* (o) condita; de
qua mentio occurrit Job 6. 19. *Isai. 21.*
14. & *Jerem. 25. 23.* Nullo tamen argu-
mento discimus eâ fuisse amplitudine,
qua Benjamin describit, nec anquam au-
ditum Rechabitis sedem præbuisse. Om-
nibus silentibus, uni Benjaminò ejus rei
fides esto. Planè tanta Urbs & Imperium
non ita facilè homines nostræ ætatis late-
ret. Suspicerer non invitus, hanc *Theima*
regionem viginti dierum itinere porre-
ctam, Reges habentem potentissimos, 40.
Urbibus, 200. vicis, 100. arcibus, &
300000. Judæis imperantem, non alibi
commodius locandam, quàm in spatis
imaginaris. Cur enim alioqui florens adeò
regio omnium Historicorum, Geographo-
rum, & Itinerantium oculis fugisset? Nisi
fortè malueris, hæc omnia simul post
duodecimum sæculum subitò evanuisse.
Suspectam etiam reddunt fidem ejus Au-
thoris quæ ab illo narratur de genere
vitæ, vestibus, professione, jugibusque eju-
latibus populi illius universi. Omnia nos
in medio relinquentes, singulis creden-
da pro suo arbitrio permittimus: nos in-
terim ambigui verfabimur, donec nova
documenta exhibeantur Rechabitarum,
sive nostri, sive etiam sæculi duodecimi.

o Gen. 25. 15.

DISSERTATIO

DE SCHOLIS HEBRÆORUM.

N Il habuerunt antiquius opti-
mè instituti quique Populi,
quàm ut inter potissimas Imperii curas, scholas
juventuti instituendæ ha-
berent. In scholis enim for-
mantur Sacerdotes, Judices, Magistratus
& Populi; nec alibi Religionem discimus,
Leges, Historiam, linguas, scientias, Rei-
publicæ maximè, & vitæ apprime neces-
sarias. Eâ persuasione inducti sapientissimi
quique Legislatores, & Principes, in id
potissimum operam suam omnem conferen-
dam censuerunt, ut constituerent primò
scholas; jam fundatas factas testas habe-
rent; nec modica illis cura, ut *Acade-
mias* erigerent, doctos Præceptores acci-
erent, etiam atque etiam Juvenum profes-
sui consulturi. Parcimus hic ab afferen-
dis aliarum Nationum exemplis, intrâ so-
los Hebræos hujus dissertationis limites
constituentes. Perpetuam scholarum, &
Prophetarum seriem à *Moyse* usque ad Je-
sum Christum demonstrabimus, flexâque
deinde oratione, in examen revocabimus ea,
quæ de scholis, studiisque ejus gentis, post
dispersionem illius sub Romanis, ad us-
que *Calmet. Tom. I.*

que nostram ætatem narrantur.

Illud commodi veteribus Hebræis præ
omnibus aliis Gentibus, ad scholas quod
attinet, accedebat, quòd Præceptores nacti
essent, cæteris omnibus merito & digni-
tate superiores, Prophetas dico, & Sacer-
dotes Domini. Accedebat tota illorum
studiorum ratio in Lege Domini, & Ora-
culis versans. Apud alias Gentes summa
habebatur ratio Philosophiæ, Astronomiæ,
Geometriæ, Musices, Rethorices, & Poe-
sios, quæ omnia satis neglecta apud He-
bræos jacebant. Summa illis & unica ra-
tio fuit Religionis; unde accepto refere-
batur summa illa in ritibus moribusque
pristinis firmitas, & constantia, exactum in
exercitio Legis studium, & summa insti-
tuendæ juventutis cura; nec reliquis om-
nibus inferior amor in Patriam (a). *Abra-
ham*, *Isaac*, & *Jacob* Viri Theodidacti,
instituendæ familiæ suæ in cognitione & ti-
more Dei curam susceperunt. Quorum insti-
tutis veluti per manus ad posteros transmi-
sis, iisque vicissim alios docentibus, factum
est, ut incorrupta sine scriptis traditio ad
Moysem usque pervenerit; ad *Moysem*, in-
quam, qui ad tradendam literis Legem non
fine

a Joseph. cont.
Appion. l. 1.

sine Domini jussu se contulit. Vir ille Divinus toto vitæ suæ tempore interpretem agit Voluntatis Divinæ ad populum, quem vicissim sapientiâ suâ, constantiâ, & studio morigerum semper Deo præbuit & obsequentem. Nunquam antea spectarunt homines Magistrum sive rerum scientiâ peritiorem, sive instituendis Discipulis majori curâ, studioque adlaborantem. Nunquam toto vitæ suæ spatio cessavit à docendis, hortandis, corrigendis Populis, disciplinæ suæ, & institutioni commissis.

Acciverat tamen in partem curarum in iis, quæ ad instituendos populos spectant, Aaronem fratrem suum, quod peculiari phrasi insinuat S. Scriptura Exod. 7. r. Aaron frater tuus erit Propheta tuus. Aliam oneris sui partem deposuit in humeris eorum quorundam virorum, quibus cognoscendas dedit causas Israelitarum, se interim in aliis majoris momenti occupato (*). Tandem in deserto Deus spiritus viri illius sapientissimi portionem transulit in 70. selectos viros (b), qui nunquam deinceps à munere prophetandi, insituentique populi cessarunt. Deus fidem suam veluti obligaverat, nunquam commissurum, ut selecta sibi à ceteris genti deesset Prophetarum successio populo instituendo, donec eximius ille Propheta (c) appareret, à quo aberrantes filii ad pristinas Patrum semitas, & increduli ad fidem revocarentur (d). Constitit rei successo à Moyse adusque captivitatem Babylonicam, perpeti veluti amne continuata. Hanc Judæi terminant in Esdra, & Nehemia, cæterisque eorum ætate, Sanhedrin, à quo formatus Canon Scripturarum, constituentibus; sed Ecclesia Christiana inter Prophetas æquè recenset & Authores Librorum Macchabæorum, Sapientiæ, & Ecclesiastici, omnes planè multò Esdrâ, & Nehemiâ recentiores; legimusque pariter in Evangelio, sub ipso ortu Jesu Christi tempus Spiritum prophetiæ non ita planè Israelæm desituisse, ut suos non haberet Prophetas in Zacharia patre S. Joannis, S. Elisabethâ, S. Joanne Baptistâ, Annâ Prophetissâ, Simeone Justo. Apud Josephum l. 1. de bello cap. 3. & Antiq. l. 13. c. 18. celebratur etiam tanquam prophetiæ dono insignis Hircanus Summus Sacerdos, & vir alius, nomine Jesus, qui everisionem Urbis per Romanos diu ante prædixit (e).

* Exod. 18. 25.

b Num. 11. 25.

c Deuter. 18. 15.

d Luc. 1. 17. Malach. 4. 6.

e Idem l. 7. de bello cap. 12.

f Eccles. 46. 1. Jesus Nave successor Moyse in Prophetis.

g Jos. 24. 1. &c.

sumque custodierunt [h]. Sed illis fato concedentibus, sensim Populus corruptionem admittens, in contrarium licet adnitentibus Prophetis, & Liberatoribus, datis temporum intervallis, à Domino excitatus, pejora semper de se timenda exhibebat. Donec excitatus à Domino Samuel, deploratis rebus promptâ ope, constitutis nempe Scholis, sive cœtibus Prophetarum, quos inter vitam agebat, succurrit.

Ad illam maximè ætatem pertinent florentissimæ Academiæ, tot præstantissimorum Virorum, & Prophetarum Seminaria. Ex his una spectabatur in Naioth Ramatha, cui Samuel præerat; altera sita erat in agro Jericho; sicut & Bethel sub Elia, & Eliseo. Quin & frequentissimæ passim per totam Israelis ditionem occurrerant. Singulas singulis eius regionis Urbibus fuisse, tradunt Rabbini; sicut & suam fuisse peculiarem Eliæ in Monte Carmelo Ligfootus Centur. pag. 665. autumavit. Nos verò ea tantum admittimus, quæ nullo ambigente in Scriptura expressa sunt. Eò verò ad consulendum Dominum de Oraculis futurorum veniebant Judæi; sicut cum Saul Samuelem convénit de Afinis Patris sui quæsiturus (i); in morbis etiam oracula quærebantur, quod exemplo Jeroboami de morbo filii sui consulenti (k). Ochozia in lapsu suo eadem præstantis (l), discimus. Conveniebant etiam Prophetas singulis diebus Sabbathi, & Neomeniarum, auscultandi gratiâ; quemadmodum mulier hospita Elisei Prophetam adivisse scimus (m). Aggeres se præstabant Prophetæ in idololatriam, ignorantiam, & licentiam; neque enim sive Regibus impiis, sive Populis corruptis indulgebant. Nec monstri loco habeatur, si Propheta aliquis gravissimis verbis, adjecto etiam minarum terrore, Principem in summo Throno assidentem castigaret. Deducto etiam quandoque à Cœlo igne, in homines impios, & audaces animadverterunt. Fidem, autoritatemque loquentibus conciliabant mira, & supra fidem prodigia; videbantur enim eorum imperio parere elementa, & ferocissimæ etiam belluæ dicto obsequentes subijci. Nequidquam tamen vel sanctissimæ vitæ autoritas, vel miraculorum virtus, seu vis eloquentiæ, & favor populi ab impiorum persecutionibus Viros Prophetas in tuto posuit. Sæpe errare, fugâ salutis suæ consulere, atque invidiâ potentium pressi effugium sibi in antris & in præruptis desertis quærere coacti sunt (n). Minora hæc præ majoribus; plerique supplicio vitam finientes, sanguine suo veritatem confirmarunt.

En seriem amplissimam Doctorum, & illustrissimam, si alia unquam, Scholæ successione. E' tantis enim Præceptoribus non potuit nisi integrum, sanctumque doctrinæ depositum à Deo ipso acceptum tradi. Itaque frustra apud Hebræos quæras tantam opinionum varietatem, quam passim apud cæteros populos offendes. Nullæ apud ipsos in Religione ambages, & dissensiones, quæ externos Doctores inter se committunt. Sermo idem omnibus, una

h Jos. 24. 31.

i 1. Reg. 9. & 10. k 3. Reg. 14. 2. 3. l 4. Reg. 1. 2. 3.

m 4. Reg. 4. 2. 3.

n Hebr. 11. 37. &c. & 4. Reg. 19. 4. 5. & 3. Reg. 18. 4. 13.

una omnibus sententia, quod omnes uno Spiritu docente instructi sint. Quæ eorum religionem in partes diviserunt Sectæ, diu post captivitatem invecæ sunt.

Nomina Phariseorum, Saduceorum, & Esseniorum primò post Macchabæos audiri cœperunt, cum scilicet multò quàm antea rarior esset in Populo prophetia. Singulis hisce sectis peculiare erant ab aliis distinctæ Scholæ, & Discipuli; quanquam Divinæ Providentiæ rebus Hebraicis vigilantis curâ factum est, ut de eorum disfidio nihil incommodi sentiret, sive fidei unitas, sive Religionis consensus. Omnibus unum erat Templum, eadem Synagoga, cæremoniæ item, & Scripturæ; sicut & fide sanctum erat utrisque, Messiam, Mediatorem, Prophetam, & Doctorem à Lege promissum tenebras tandem omnes discussurum, atque spiritus, & corda in unam fidem, & sententiam conciliaturum. Omnibus eadem persuasio, atque expectatio sedebat, & discrepantes alioqui in id tandem conveniebant.

Alius traditionis, & doctrinæ canalus apud Hebræos erant Sacerdotes, quos Moyses mandatis oneravit, ut Populum instruerent, deducerentque, non in rebus tantum Religionis, sed etiam in politicis, optimâque reipublicæ politiâ. Habebantur ipso jure tanquam Magistri, & Judices Israelis: Si difficile, & ambiguum apud te, ait Moyses (o), judicium esse perspexeris inter sanguinem & sanguinem, causam & causam, lepram & lepram, & judicium intra portas tuas videris verba variari, surge, & ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus; veniesque ad Sacerdotes Levitici generis, & ad Judicem, qui fuerit illo tempore, quæresque ab eis, qui indicabunt tibi judicii veritatem. Et facies quodcumque dixerint, & docuerint te, sequerisque sententiam eorum, nec declinabis ad dexteram, nec ad sinistram. Qui autem superbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, & decreto Judicis, morietur homo ille, & auferes malum de Israel.

o Deuter. 17. 8. 9. 12.

In partem igitur Sacerdotibus obtigerat studium, instructio Legis, judicia, & ministerium verbi (p), paratos semper esse consulentibus de quæstionibus Legis æquè respondere. Non enim peribit Lex à Sacerdote, ait Jerem. 18. 18. neque consilium à Sapiente, neque sermo à Propheta. Quare dignitate exautoratum se profitteretur Deus Sacerdotem scientiam negligentem (q), & per Malach. 2. 7. commississe se dicit illis depositum scientiæ, à quibus proinde Legem populus requireret. Sacerdotes, ait Josephus contra Appion. l. 2. nunquam à studio Legis, ceterisque scientiis vacandum sibi censent, illos enim Judices habent Hebræi, & si quid in Republica criminis committatur, correctores. His igitur tantisque viris sive Dei spiritu singulari afflatis, vel Sacerdotibus viris amplissimis, & gravissimis in studio Legis, rebusque Divinis excultissimis, Præceptoribus & custodibus doctrinæ, Hebræos semper usos fuisse constat.

p Deuter. 33. 9. 10.

q Osee 4. 6.

Locus docendo destinatus Templum Do-

mini habebatur; cum enim ex Legis præscripto ter singulis annis totidem solemnioribus diebus populi omnes eò convenire juberentur, eâ oblatâ occasione nunquam à Sacerdotibus, & Prophetis ab annunciandis Divinis jussionibus monedisque Populis cessabatur. Evolvebantur insuper volumina Legis Domini, quæ deinde populo exponerentur (r). Prophetæ etiam pro concione vitæ, quæ fortè in gentem obrepissent, sive illa ad Idolatriam, sive ad alia quæcumque pertinerent, gravissimis verbis castigabant. Sacerdotum verò ædes, & aula, quod Sacerdotes cogebantur, itemque aula Templi, Senatui convocando destinata, totidem erant Scholæ, quas adire singuli permittebantur, quoties ambiguum aliquid in Lege, ejusque exercitio occurreret. Quemadmodum enim supra etiam animadvertimus, nihil antiquiùs habebant Israelitæ, quàm ut Legibus & cæremoniis ferè unice studerent. Creduntur scholas habuisse non in Templo tantum & Jerosolymæ, sed & in singulis etiam Urbibus Levitarum.

r 2. Esdr. 8. & 9.

Suas etiam seorsum positas scholas habebant Prophetæ, veluti Aceteria quædam, ubi unâ cogebantur filii, sive Discipuli Prophetarum. Celebratissime pariter & frequentissime sub Samuele primùm, deinde sub Elia, & Eliseo commemorantur. In agro constitutæ viris frequentabantur vitam communem agentibus, pauperem oppidò & laboriosam; ita tamen ut simul quieti contemplationi, & studio vacare possent; frugi enim illi, & modestissimi viri, paucis contenti, & ab inanibus curis vacui, post durioris vitæ occupationes, tempus norant vacandi spiritualibus exercitiis. Eos proinde ultrò consulebant populi, si quid in moribus, sive in Lege dubii emerisset; in his enim simul habebant exemplum vitæ probè & optimè insituta, simulque præsentis consuetudinis normam, & pro futuris Oracula. Quare certissimi erant & absolutissimi Legis Interpretes; omnia enim illorum omnium, erant institutio, mores, professio, verba, Oracula, minæ.

Prophetarum Discipuli sive eodem cum illis prophetiæ dono excelebant, sive morum tantummodo & professionis tantorum Patrum erant imitatores. Neque enim prophetiæ scientia auscultandis Præceptoribus, quemadmodum ceteræ omnes, comparatur; sed Spiritus Sancti gratuitum est donum, ad arbitrium certis hominibus communicatum. Grotius in Sap. 7. 27. post Rabbinos contendit, raros fuisse Veteris Testamenti Prophetas, qui non serio & diutino physicæ & metaphysicæ studio antea se ad Prophetiam comparaverint; ut præter consuetum uni Amos accidisse videretur, qui nullis antea excultus Prophetarum Scholis, in Prophetam elevaretur. Verùm inania sunt hæc & absurda. Jeremias ex ipso matris utero ad munus Prophetæ destinatus est; Eliseus nunquam sub Prophetis sese exercuerat. Quid David, quid Daniel, alique multi?

His Prophetarum, quibus Sanctus Spiritus